ALTERA DISPUTATIO DE VSURIS EX VARIIS IURIS CIUILIS CAPITIBUS ... DESUMPTA. QUAM...

Johann Zanger, Gregor Stur

Digitized by Google

LL STVDIOSIS IN ACADEMIÀ VVITEBERGENSI S. D.

IAM quinq; anni præteriêre, cùm diſputationem publicam ordinariam de VSVRIS in hac Academia haberē: in qua principaliter à me fuit diſputatum, de definitione, cauſis, & legitimo vſurarū modo, itemq; de pœnis eorum, qui vltra conceſſam iure quantitatē vſuras exigunt, & demum qua actione eæ debitæ peti poſsint. Quoniam verò ad integram & abſolutam huius materiæ cognitionem, & illud cum primis ſcitu neceſſarium eſt, quibus ex cauſis vſuræ rurſus deberi deſinant, vel potiùs, quibus remedijs ab earū præſtatione debitor liberetur, quæ in hac poſteriore & reſidua illius tractationis parte ab interpretibus noſtris in controverſiam, & diſcrimen veritatis præcipuè vocari ſolent, hac præſenti diſputatione excutere atque enodare conſtitui. Quod propter eos, quibus de priori diſputatione anteà peracta non conſtat, ordinis, ſeu continuationis cauſa, præmonendum duxi.

Iohannes Zanger. D.

THESIS

I.

PRIMO (*ut à generalioribus fiat exordium*) *tollitur uſurarum obligatio, ſublata principali obligatione.*

II.

Principalis autem obligatio corruit variјs modis: ut ſententia*: qua ſi finitum ſit bonæ fidei iudicium, quamvis minoris condemnatio facta ſit, non adiectis uſuris, nec provocatio ſecuta: finita tamen retractanda non ſunt.*

III.

Itemq́; præſcriptione*: qua ſi tutus eſt debitor, in actione vel ſorte principali, etiam in uſuris eadem ſe tueri poterit.*

IV.

Sed & novatione, delegatione, acceptilatione, *& cæteris ſpeciebus, quibus extingui obligationes conſueverunt, debitores à præſtatione uſurarum liberantur.*

V.

Inprimis verò uſuræ deberi deſinunt,

ſolutione, & quæ paria cum ea facit, oblatione, *cum* obſignatione, *ac* depoſitione *ſolenni coniuncta.*

VI.

Oblationis *quatuor præcipuè ſunt leges. Primùm enim requiritur, vt totum debitum, vel, vt cum Imp. apertiùs loquamur, ſors cum vſuris debitis offeratur. Sicut enim partis ſolutio debitori non prodeſt ad liberationem, creditore eam accipere recuſante: ſic nec eiuſdem oblatio.*

VII.

Niſi vel convenerit, vt particulatim ſolvere liceret: vel ſervus libertatis cauſa pecuniam dare juſſus ſit: vel quis ita ſtipulatus ſit, ſibi Epheſi & Capuæ dari: vel penſio annua ſit, quæ à poſſeſſoribus fundorum patrimonialium præſtanda eſt: vel quod petitur, pro parte liquidum & illiquidum ſit.

VIII.

Deinde neceſſum eſt, vt debitum offeratur realiter: Tertiò vt oportuno loco & tempore fiat oblatio: Deniq; exigitur conteſtatio, h. e. vt teſtibus adhibitis perficiatur.

Con-

IX.

Conſignationis *jus ſimplicius eſt, ut ſcilicet ea fiat ſacculo obſignato ſignatorum ſignis, quemadmodum Scævola Iurisconſultus hac de cauſa loquitur.*

X.

Depoſitio *quoq; peragi debet ſolenniter in loco publico, hoc eſt, vel in ædibus ſacratiſſimis, vel ubi competens judex ea de re aditus pecuniam deponi iuſſerit.*

XI.

Moribus noſtris hæc ſolennitas depoſitionis non ita ſuperſtitioſè obſervatur, ſed depoſitio apud quemcunq; iudicem, vel privatum etiam hominem, fieri conſuevit.

XII.

Tutius tamen eſt, judicis permiſsionem & mandatum accedere, ne forte illegitimam, & minus tutò factam depoſitionem ſibi debitor imputare poſteà cogatur.

XIII.

Hac ſolennitate obſervata, liberatur debitor ipſo jure, ut veteri actione de ſorte, &

de vſuris creditori minimè teneatur: niſi ipſe depoſitam pecuniam receperit.

XIV.

Quinetiam à periculo caſus fortuiti immunis efficitur, ita, vt ſi nummi pereant poſteà, creditoris ſit naufragium.

XV.

Deniq; pignorum quoq; jus exinde perimi, ac fidejuſſorum obligationem interire, non ambigitur.

XVI.

Quemadmodum verò creditor jus ſuum amittit adverſus debitorem, eiusq; fidejuſſores, vti dictum eſt: Sic idem è contrario ad eius pecuniæ exactionem acquirit vtilem actionem, vel depoſiti, adverſus depoſitarium, vel in rem, ad pecunias depoſitas petendas, contra omnes earum poſſeſſores.

XVII.

Porrò ſola pecuniæ debitæ oblatio, aut obſignata depoſitio, neque liberationem ſortis afferunt, neq; ad vſurarum curſum impedi-

pediendum, ex communi Dd calculo, licet contrarium quibusdam arrideat, quicquam proficiunt, neq; etiam pignorum jus, aut obligationem fideiuſſoriam tollunt.

XVIII.

Si tamen creditoris facto contingat, quò minus debitor pecuniam oblatam obſignare ac deponere poſſit, ab vſuris liberabitur. Quod ipſum jure ſingulari etiam receptum eſt, tùm in ſervo, hac lege, ſi decem hæredi dederit, manumiſſo: tùm in vectigalibus, tributis & alijs publicis penſionibus, quarum ſola oblatio debitorem ab obligatione eximit.

XIX.

Pari modo, vſuris maioribus ſub conditione, ſi minores ad diem ſolutæ non fuerint, ſtipulatis, debitor ante diem præſtitutum vſuras minores offerens, ad præſtationem maiorum vſurarum non tenetur.

XX.

Sic ſi debitor ignorare poſſit, quid & quantum debeat, quod contingit in actionibus

genera-

generalibus, etiam ſolam oblationem verb. lem à præſtatione vſurarum debitorem liberare exiſtimamus.

XXI.

Nuda præterea oblatio eò prodeſt, vt creditor, qui ſine cauſa oblatum recuſavit, committat moram: quæ hoc efficit, vt ſi debitor poſteà, ſine dolo, aut culpa ſua pecuniam oblatam amiſerit, liberetur, aliàs per exceptionem doli mali, idq; in ſtrictis, ex Iuliani, & aliorum juris noſtri auctorum ſententia, quæ tandem contra Sabinianos obtinuit: aliàs ipſo iure, vt in bona-fidei negocijs.

XXII.

Deniq; placuit, vt ſi ei, cui debitor obligatus eſt, tutò ſolvi nequeat: aut incertum ſit, cui debeatur, abſq; oblatione rectè pecunia conſignata deponatur.

XXIII.

SECUNDUS *uſurarum finis conſiſtit in earundem* remiſsione, *non tantum aperta, ſed & tacita. Aperta, quo fiat modo, conſpicuũ eſt: Tacita,*

Tacita, hac ratione conſtituitur, ſi maioribus vſuris ab initio promiſſis, minores poſtea ſolutæ probentur.

XXIV.

Quodnam verò temporis intervallum hoc caſu requiratur, vehementer variant Dd. Nos cum Salyceto, contra Azonem, Cyn. Bald. & alios, ex Impp. ac Ictorum reſponſis longi temporis intervallum, hoc eſt, decennium neceſſum eſſe putamus: quo elapſo, ſi maiores petantur ex cautione, obſtat petentibus vtilis exceptio pacti.

XXV.

Etiam defenſoribus civitatum, (non tamẽ fiſco,) ſi civitas privato creditori, cui vſuræ maiores debebantur, & qui minores pro maioribus acceperit, ſucceſſit. Nam ſi defenſores civitatis propriam eius pecuniam fœnori dederint, & caverint ſibi vſuras maiores, non idem iuris eſſe ſtatuimus.

XXVI.

Nec Accurſij diſtinctionem à Bart. & Dd. communiter approbatam, tacito ſcilicet pacto vſuras maiores remitti poſſe à defenſoribus ci-

bus civitatum, in præjudicium civitatis, expreſſo non item, juris veritati conſentaneam eſſe cum Paulo de Caſtro defendemus.

XXVII.

Postremò deberi deſinunt vſuræ, ſi ſortem exæquaverint. Nam vltra duplum curſus vſurarum non permittitur: quod non tantùm in vſuris ſtipulatione promiſſis, ſed & in bonæ fidei judicijs, cæterisq́; omnibus caſibus, in quibus vſuræ exiguntur, Imp. Iuſtinianus reſcripſit: adeò, vt ne quidem per retentionem pignoris ſervari queant.

FINIS.